



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

1. Laus Musicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

latis suæ memores; & petulantes risus ac jocos, quasi salaces mugitus, in pœnitentis animi gemitus ac suspiria convertant.

SYMBOLVM XIV.

Cygnus, rex Ligurum in avem cognominem transit.

2. *Metam.*

Ethicè.

1. Laus Musicæ. 2. Scelerati non lugendi. 3. Moderandus luctus in funere. 4. Mors bona. 5. Poëtæ cygnis similes.

ERat hic materno genere Phaëthonti proximus, quippe cujus parens fuit soror Clymenes, (de qua supra) qui cum consanguinei tristem accepisset ruinam, relicta sede regia, ad Eridanum fluvium se contulit, ibique tam sepulchrum amicissimi capitis, quam fororum ejus in arbores transformationem conspicatus, capit questibus liberiùs indulgere, & interitum propinqui sibi juvenis, monstrôsâque puellarum cognatarum transmutationem acerbùs deslere. Indignè hoc tulerunt superi, quippe quorum voluntate hæc acciderunt, quare immodicè lugentem momento convertunt in *cygnum* avem. Mox igitur homini tenuari vox, capilli migrare in plumas, collum à pectore longiùs porrigi, pedes in digitos latiores extendi, pennæ velare latus, os in rostrum obtusius excrescere. Ille tamen etiam in hac forma memor fulminis, quo Jupiter iracundus Phaëthontem percussit, superos perosus ignes, nunquam se cœlo, sed paludibus tantùm ac fluminibus credidit.

Ethica.

Variè mores hæc informat fabula. Nam I. (a) Laus Musices hinc eruitur; Cygnus enim rex Ligurum arte canendi clarus, cum decessisset; in avis figura, ab Apolline collocatus est inter astra, in quibus etiam hodie Cygnus illustrem locum obtinet. Vnde discitur, Principes non debere esse expertes optimarum artium, quæ *Liberales* vocantur, etiam Musicæ, cum animum ad regias virtutes, & ad optimam rerum admi-

I 3

nistratio-

(a) *Laus Musica.*

niffrationem ac prudentiam mirabiliter effingant, atque ad rerum vel secundarum, vel adversarum eventus aequo animo perferendos disponant. Musica nos monet, ut sicuti est varietate vocum & fidium, grata & consentiens oritur symphonia, ita omnes animi motus & actiones in dulcem virtutum convenientiam harmoniam. Musicus est veluti Neptunus poeticus (quod infra memorabimus) qui tumida aequora placat, cum ventus ambitionis, ac furentis iracundiae saevos attollit fluctus: cum moeror subsidit, & furit aestus arenis; cum libido inquietat: cum aliae perturbationes violentius incitantur, dulci modulamine componit tempestatem; coercetur libido exultans, atque ruens in animi perniciem gloriae ardor refringitur, implacabilis irae vis, & cupido ultionis tranquillatur. Davidis equidem plectrum non furentes tantum perturbationes, sed ipsum cacodæmonem est Saule ejecit.

II. (b) Deinde hic docetur neque sapiens, neque pium esse, illorum sceleratorum lugere calamitates, qui divino consilio atque providentia propter illatas ipsis Dijs injurias, miseriam patiuntur.

III. (c) Tertio brutis fieri similes, qui immodico luctu ex jactura charorum capitum abrepti, motibus animi temperare aliqua saltem ex parte non possunt: neque ferre nituntur aequa mente, quod statutum divinitus, nullaque potest ratione mutari.

IV. (d) Quarto *cygnea cantio* adagio fertur, & in eos convenit, qui mortem ipsam laetè, & cum cantu excipiunt: nam cygnus in funere suo suavissime modulari fertur. Martial. lib. 13.

Dulcia defecta modulatur carmina lingua

Cantator cygnus funeris ipse sui.

Et Ovidius:

Sic ubi fata vacant, udis abjectus in herbis

Ad vada Mæandri concinit albus olor.

Cygnum imitantur, qui extremum vitae actum suaviter claudunt, moriendique necessitatem in virtutem vertunt. Qui, ut Cygni (quod Tullius ait in *Quaest. Tuscul.*) praevidentes quid in morte boni sit, cum cantu & voluptate moriuntur. Pro Dijs immortales, (idem exclamat) quam illud iter jucundum esse debet, quo confecto nulla reliqua cura, nulla sollicitudo futura sit! *Pretiosa mors Sanctorum*, ait Psalter regius ps. 115. Nam, ut Bernardus loquitur, mors est finis laborum, consummatio victoriae, janua vitae, perfecta securitatis ingressus. Et serm. 41. ex parvis: Bonorum mors optima, quoniam fit ibi quies à laboribus, fit jucunditas

(b) Scelerati non lugendi. (c) Moderandus luctus. (d) Mors bona.